

**Zeitschrift:** Beiträge zur vaterländischen Geschichte  
**Herausgeber:** Historische und Antiquarische Gesellschaft zu Basel  
**Band:** 10 (1875)

**Artikel:** Neue Nachrichten über das Erdbeben von 1356  
**Autor:** Sieber, Ludwig  
**Anhang:** Beilagen  
**Autor:** [s.n.]  
**DOI:** <https://doi.org/10.5169/seals-110712>

### **Nutzungsbedingungen**

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften auf E-Periodica. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen sowie auf Social Media-Kanälen oder Webseiten ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. [Mehr erfahren](#)

### **Conditions d'utilisation**

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. La reproduction d'images dans des publications imprimées ou en ligne ainsi que sur des canaux de médias sociaux ou des sites web n'est autorisée qu'avec l'accord préalable des détenteurs des droits. [En savoir plus](#)

### **Terms of use**

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. Publishing images in print and online publications, as well as on social media channels or websites, is only permitted with the prior consent of the rights holders. [Find out more](#)

**Download PDF:** 26.12.2025

**ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>**

## Beilagen.

---



**I.**  
**Franciscus Petrarca.**

---

**A. 1360.**

**De remediis utriusque fortunæ lib. II. Dialog. 91 de  
terræmotu.**

(Opera, ed. Basil. 1581, pag. 182.)

Nuper alpes aëreas, quæ Italos a Germanis separant, quarum motus insolitos Maro ait, et motas et multis in locis disiectas cernere potuisti: et confestim postea ipsam urbium reginam, graviter agitatam usque ad ruinam turrium ac templorum, aliquotque alias humi stratas, moxque velut perpetuo malorum ordine, Germaniæ partem illam, quæ nobilior habetur, totam scilicet Rheni vallem tremuisse, atque in ripis Basileam urbem funditus, et octoginta, eoque amplius castella, uno simul temporis momento corruisse notum est.

---

**B. 1368.**

**Epistolæ de rebus senilibus, lib. X. Epistola 2, de  
mutatione temporum.**

(Opera, p. 873.)

Terræmotus auditum lectumque erat nomen, at rem ipsam ab Historicis, rei causam a Philosophis querebamus, et motiunculas nocturnas, forte aliquas raras qui-

dem et ambiguas, somnioque simillimas curiosi ibi homines fingeant, terræmotum verum nostro aevo nullus senserat. Vigésimus annus est nunc, ex quo alpes nostræ, quarum motus insolitos ait Maro, VIII. Calendas Februarias tremuere, inclinata iam parumper ad occasum die, Italiæque simul ac Germaniæ pars magna contremuit tam vehementer, ut adesse mundi finem inexperti quidam crederent, quibus insueta prorsus et nunquam cogitata res erat. Veronæ tunc in bibliotheca mea solus sedens, quanquam non in totum rei nescius, repentina tamen et nova re percussus, solo tremente sub pedibus et undique concursantibus ac ruentibus libellis, obstupui et egressus thalamo, familiam moxque populum trepidissime fluctuantem vidi, omnium in ore funereus pallor erat. Qui hunc proxime secutus est anno Roma tremuit usque ad ruinam turrium ac templorum, simul et partes Hetruriæ tremuerunt, de quo tunc sollicitus ad Socratem nostrum scripsi. Anno idem septimo tremuit inferior Germania totaque Rheni vallis, quo tremore Basilea concidit, non tam magna urbs quam pulchra et ut videbatur stabilis, sed contra naturæ impetum nihil est stabile. Inde ego paucis ante diebus abieram, Cæsare ibi hoc nostro, bono quidem mitique principe, sed ad omnia lento, per mensem expectato, qui mihi tandem in extrema barbarie quærendus fuit, de quo motu ad Joannem urbis illius venerandum præsulem scribere animus fuit, quod ab illo satis honorifice visum me non obliviscerer et an scripserim non memini, apud me autem exemplum epistolæ non extat. Cæterum die illo, in ipsius Rheni ripis, hinc atque hinc octuaginta, vel eo amplius castella solo æquata referuntur.

---

## II.

# Konrad von Waltenkofen.

---

**1360.**

Liber qui intitlatur *Alphabetum narrationum* scriptus a fratre *Cinrado de Waltenkouen* ordinis predicatorum et finitus anno domini. M<sup>o</sup>. CCC<sup>o</sup>. LX<sup>o</sup> in octava sanctorum innocentum ad laudem et honorem domini nostri Jesu Christi qui est benedictus in secula seculorum. Amen.

Pergamenthandschrift der Universitätsbibliothek zu Basel B. IX. 12 fol. 275b.

Anno domini. M<sup>o</sup>. CCC<sup>o</sup>. LVI<sup>o</sup> in die beati Luce ewangeliste ante vesperas factus est in Basilea et circa ad duo miliaria terremotus per quem multe ecclesie, edificia et castra corruerunt et multi homines obruti interierunt. Eodem die et nocte sequenti multi terremotus facti sunt tam horribiles quod omnes homines de civitate fugierunt et se in ortis, tuguriis et villis receperunt et in eisdem multis diebus permanserunt.

Sanctimoniales enim ad lapides in quodam orto extra muros civitatis qui dicitur vögelis garte se transtulerunt et ibidem multis diebus cum multis aliis hominibus utriusque sexus in tuguriis permanserunt et postmodum re-

deuntes ad aream suam in orreo diu steterunt, antequam claustrum ingredi auderent. Nocte insuper predicta circa primam campanam succensus est ignis qui duravit pluribus diebus et fere totam civitatem infra menia consumpsit, suburbiis penitus ab igne illesis. Ignis etiam predictus usque ad ecclesiam cathedralem perveniens turrim in qua maior campana pendebat incendit et campanam et organa preciosa eiusdem monasterii destruxit. Fuerunt ergo predicti terremotus ita fortes, quod non fuit edificium singnanter lapideum quod non fuerit in toto vel in parte destructum. Tertium etiam malum supervenit, videlicet quod meatus Birsici per edificia que corruerunt in ipsum fuit obstructus, ita quod aqua in cellaria in que homines proiecerunt res suas conservandas intravit et eas deturpavit. Inter primos terremotus aliqui fuerunt ita magni quod campanas ad pulsandum movebant. Sicut campana fratrum predicatorum, que tribus vicibus audita fuit pulsari realiter nullo hominum penitus eam movente, nec trahente. Sciendum etiam est, quod fere omni mense terremotus usque ad annum venerunt, unde videtur iam impletum esse quod dominus dicit in ewangelio Luce 2 [21, 11] Surget gens contra gentem et regnum adversus regnum et terremotus magni erunt per loca.

